

XI. 1² Q.

(cat. 4, 22-33^b)

27

ORDINARIUS
SENIOR ET RELIQVI DOCTORES
FACULTATIS IURIDICAE LIPSIENSIS
INAUGURATIONEM
AUDITORII PETRINI
NOVITER EXSTRVCTE
D. XXIII. SEPTEMBER A. C. MDCCCLXXIIII.
CELEBRANDAM.
SIMVLQVE
SVMMOS IN VTRIQUE IURE HONORES
DOCTISSIMO CANDIDATO
JOANNI FRIDERICO CLEEMANNO
TRIBVENDOS
INDIVNT.

27

ORDINARIAE
SENIOR ET RELIGIA DOCTORI
ACADAMATIA IURIDICA PISCI
TITULUS
LITERATI ET LXX OTTUS
PROFESSIONE ET AETATE
MILLIENARIIS
MAGISTER
SALVATORIS
SANTO IN UTROQUE TERRA HONORE
OMNIS CATHOLICUS
REVERE CESSARE
TRIBUNALIS



Doctrina de bonorum collatione, eximio illo Praetoris beneficio, quod, ut cuncta iuris ciuilis supplementa, ab eo profecta, summa aequitate nitiatur, multis dubiis inuoluta est. Nec minima controversia circa collationem nepotum ventilatur. Eo enim casu, quo nepotes, paterna hereditate abstinentes, auo succedunt, dubium nascitur, *an ad ea, quae pater, aut mater, praedefuncta, ab auo acceperunt, confienda, sint obligati?* Quae quidem quaestio a multis Dd. affirmatur, qui statuunt, nepotes ea conferre, quae pater accepit, licet paternae hereditati renunciarint. BRVNDEM. ad l. fin. C. vnde liberi. n. 6. CARPZ. P. III. Conf. XI. d. 33. BERGER. Oec. Iur. L. II. T. 4. §. 51. n. 1. WERNHER. P. VI. obs. 499. et 500. Quorum ratio in eo versatur, quod nepotes ad successionem aui non nisi per ius representationis, vt vocant, peruenire possint, et sic, cum patrem repraesentent, ex aui hereditate plus ad eos peruenire nequeat, quam ipse pater, si adhuc in viuis esset, habiturus sit, argumento e l. 10. et l. 149. D. d. Reg. Iur. ducto, cum secundum naturam sit, incommoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur commoda. Et hae quidem rationes ita sunt comparatae, vt magnam aequitatis speciem praeferre videantur.

Sed nec minoris ponderis sunt argumenta, quibus contraria defenditur sententia. Certum enim est, nepotem ad auitam hereditatem non beneficio patris, sed iure quodam proprio, vocari. Ipsum enim, licet patris post mortem aui defuncti heredem se neget, nihilominus per bonorum possessionem ad aui hereditatem peruenire, expressis verbis sanctitur I. 7. §. 1. 3. C. unde liberi. In qua posteriori lege casus ponitur, vbi defunctus pater, haud exheredatus, auum superuixit, sicque ad eum hereditas deuoluta videbatur, hinc merito dubitari potuisset, nepoti aliam viam ad successionem aui patere, quam per hereditatem patris, vt, si huius heredem se esse neget, eo ipso et auitae successioni, per patrem delatae, renunciare videatur. Nihilominus tamen Constantinus, et hoc casu, quia pater se nondum immiscuerat hereditati, Cuiac. L. 4. obs. 16. nepoti per bonorum possessionem succurrendum esse ait, certissimo indicio, nepotem ius succedendi in aui defuncti bona minime patri, sed cognationis vinculo, quod etiam, non existente amplius patre, perdurat, debere. Verum quidem est, patrem, cum ab auo dotem, donationem propter nuptias, aut alias res, collationi subiectas, acciperet, tacite se obligasse, ad eas in futura successione conferendas, nec dubitandum, quin haec obligatio eum, eiusque heredes, teneat, quando eueniente casu ad successionem aui accedere velint. Sed ratio deesse videtur, cur, praeter naturam personalis obligationis, eam Filium eiusue heredes egerdi, atque tertium, pro quo nepos, qui paternae hereditati renunciauit, est habendus, obstringere statuamus. Nepos enim nec ex propria persona obligatur, qui ab auo nihil accepit, nec ex persona patris, cuius hereditate abstinuit, cuius itaque facta ab eo haud praestanda sunt. Qua propter nepotem, qui patris heres non est, ad solutionem aeris alieni, ab illo contracti, haud teneri, dubio caret, et ad aui hereditatem nepotem accedere, licet
pater

pater eidem renunciauerit, concedunt. CARPZ. P. II. C. 35.
d. 12. STRYK. d. Success. ab intest. diff. 8. cap. 10. §. 76. 79. BERGER Oec. Iur. L. II. T. IV. th. 37. n. 4. th. 48. n. 10. L. II. R. 249. quod fieri non posset, nisi proprio iure nepotes suo succederent.

Obstare quidem nostrae sententiæ videntur verba Nouellæ CXVIII. Cap. I. vbi Imperator disponit, *nepotes tantam de hereditate morientis accipere debere partem, quanticunque sint, quantam eorum parens, si viueret, habuisset.* Hinc BERGERVS distinctione vitetur, atque nepotes suo succedere asserit, partim iure proprio, quod ad extraneos, partim iure representationis, quod ad coheredes, indeque obligationem, ad conferenda ea, quae parentes acceperunt, deducere vult. Sed ius representationis, quo nepotes vtuntur, vltra intentionem Imperatoris extendi nequit. Quod enim dixit in laudata Nouella, nepotes tantam solummodo partem consequi debere, quantam eorum parens, si viueret, habuisset, id modo indicare voluit, nepotibus, licet pluribus, ex filio prognatis, non nisi portionem virilem constitui; v. c. vt alter filius, qui adhuc in viuis est, partem dimidiā hereditatis habeat, ex altero filio duo pluresue nepotes alteram dimidiā. §. 6. I. d. hered. quae ab intest. deser. quod'a verbis Nouellæ, *quanticunque sint*, satis liquet. Iam vero dici nequit, nepotes, licet collationis onere haud grauentur, maiorem partem hereditatis consequi, ac eorum parenti competeteret. Est enim eadem quota, triens, etc. De eo vero casu, an hereditas per collationem eorum, quae pater viuus accepit, sit augenda, portio vero nepotum minuenda, Imperator, dum hanc legem conderet, plane non cogitauit, sed hanc quaestionem intactam reliquit. Huius ergo decisio ex aliis iuris principiis petenda, et secundum ea, quae supra monuimus, dicendum videtur, obligationem illam personalem, quam init filius, dum

paternis beneficiis locupletari se passus est, sua natura eum, eiusque heredem, solummodo obstringere, ad nepotem vero, qui eius quidem locum, sed proprio tamen iure, occupat, proferri non posse. Protocant quidem ad generalia ista, supra adducta, naturalis rationis praecepta, quae et in iure nostro repetita leguntur, scilicet, „*Secundum naturam esse, incommoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur commoda, et, ex qua persona quis tuncum capit, eius quoque factum illum praeflare debere.*„ l. 10. l. 149. D. d. reg. iur. Sed merito negamus, has iuris regulas hic locum sibi vindicare, et illud collationis onus eiusmodi incommodum esse, quod portioni hereditariae semper cohaereat, eamque ipso iure minuat, et ad tertium quoque, qui proprio iure in locum filii succedit, transeat, haud concedimus, nec magis damus, nepotem ius succedendi in autam hereditatem patris beneficio nancisci, quippe cui hoc ius nec a reluctante patre interuerti potest, cum illi, et exheredato patre, tabulas aut impugnare, sive proprio iure succedere, permisum sit. l. 4. C. d. lib. praeter. Nouell. CXV. Cap. 3. Hac sunt fere rationes, quibus, Ordini nostro ab antiquo se probauit sententia, nepotem, qui renunciavit paternae hereditati, repraesentare gradum patris, quoad succedendi modum, non quoad successionis onus. MENCKEN Pand. L. XXXVII. Tit. VI. §. 3. HOMMEL Rhapsod. obs. LV.

Sed mittamus hanc quaestionem, et ad aliam non minus controversam transeamus:

Vtrum nepos, praedefundae matris heres, auo successurus, uniuersam dotem, quam mater accepit, an solum eam partem, quae ex hereditate materna, ad illum peruenit, conferre tenetur?

Casus vero hic erit: Filia dotem, a patre acceptam, in pecunia numerata, consistentem, marito intulit. Mortua deinde filia, relictis cum marito liberis, maritus, cui secundum ius

Saxo-

Saxonicum mobiliaris successio defunctae vxoris defertur, luctatur hanc dotem et liberis saltem de ea constituit legitimam. Hi itaque partem haud magnam bonorum defunctae matris capiunt. Quapropter merito quaerimus, an plus, quam acceperunt, in hereditatem avi conferre debeant?

CARPZOVIVS quidem, qui nepotes, licet paternae hereditati renunciarint, nihilominus onere collationis grauandos existimat, tamen cum aliis hoc onus ad ea restringit, quae nepotes ex materna hereditate perceperunt. CARPZ. P. III. C. XI. d. 31. 32. Quae Sententia tam ex ipso rei natura fluere, quam expressae legum dispositioni conuenire videri posset. Notum enim est, collationem ideo introductam esse, ne alter descendenter plus ex hereditate capiat, quam coheredes, et sic aequalitas, quam defunctus servare voluisse praesumitur, turbetur. Iam vero hoc aequalitatis studium haud permittere videtur, ut aliquis plus in hereditatem conferat, quam ad eum peruenit. Cum itaque nepotes non vniuersam dotem, sed eius saltem partem lucrati sint, et hanc solam conferendam esse aiunt. Et ipsae leges heredem ab eorum collatione liberant, quae absque eius culpa perierunt. I. 2. §. 2. D. d. collat. Imo expressis verbis habetur: „*Si id egit, ne acquireret, non venire in collationem; cum hic et sibi insidiatus sit.*“ I. 1. §. 23. D. d. collat. Accedunt I. 1. §. 6. D. d. dot collat. et Nou. XCVII. Cap. 6. vbi dispositum inuenimus, mulierem dotem, quam sine culpa perdidit, haud conferre. Quae quidem omnia causam nepotum optime defendere videntur. Si enim id, quod non est in bonis heredis, ab eo non confertur, imo nec hereditas, quam adire potuit, quam tamen omisit, ei imputatur, an ratio adsit, cur nepos plus, quam ex materna hereditate accepit, conferre teneatur, merito dubitari posset. Nec WERNHERI responso placet, qui, cum collationem nepotum, et paterna hereditate abstinentium, desenderet, laudatas I. L. §. 23.

§. 23. et l. 2. §. 2. ideo hoc non spectare contendit, quia partim de bonis, post mortem defuncti acquisitis, partim de collatione emancipatorum, agant. WERNHER. P. VI. obs. 500. Ad prius vero quod attinet, quid impedit, quo minus ratiocinio, a maiori ad minus ducto, ita argumentari liceat: Si heres ne ad eorum quidem collationem obligatus est, quae tempore mortis adfuerunt, licet postea perierunt, multo minus ad eorum collationem tenebitur, quae ante mortem defuncti iam in eius bonis non extiterunt. Ad alterum vero, negandum quidem non est, leges istas de antiqua collatione agere, ad quam emancipi, per bonorum possessionem cum suis successuri, obligati erant, quae quidem ab hodierna plane diversa est, cum in illam omnia bona, vndeque quaefita, in nostram vero, ea solum, quae a defuncti liberalitate profecta sunt, veniant. Quae ratio diuersitatis, cum maxima sit, facile nos induceret, ut semper, et tunc quoque, collationis onus locum sibi vindicare statueremus, quando res conferendae absque dolo perierint, nisi, principia ex priori collationis modo petita ad recentiorem iure applicari, certum esset, et Imperator IUSTINIANVS non solum ipse ad legem Vlpiani prouocaret, d. Nou. XCVII. Cap. 6. sed et insuper, dum nouum aliquod in collationis materia introduceret, expressis verbis declararet, „Quod omnia, quae prius de collationibus sancta sunt, in sua virtute manere debeant.“, Nou. XVIII. Cap. 6. in fine.

Quae cum ita sint, sententia CARPOVITI, supra adducta, omni numero absoluta videri posset, nihilominus tamen ei accedere merito dubitamus. Eadem enim ratio, quae nos supra mouit, ut nepotes, parentum hereditate abstinentes, a conferendi onere immunes censeremus, nos impellit, ut eosdem, cum matris hereditati se immiscuerint, eo grauandos asseramus. Deerat enim illo casu fundamentum obligacionis, quo nepotes, proprio iure succedentes, ex facto parentis

tis tenerentur. Hanc vero obligationis rationem in praesenti adesse satis intelligitur. Iam enim nepotes parentum personam, non solum quoad modum successionis, sed omni ex parte, referunt, eorumque heredes cum sint, ad facta quoque illorum praefstanta omnino obligantur. Cum itaque praedefuncta eorum mater, dotem accipiendo, partem auitae hereditatis praecoccupauerit, seque secundum legum intentionem ad eam in futura successione conferendam ipso facto obstrinxerit, eiusmodi obligationes personales vero non solam personam accipientis, sed eius quoque heredes obligatos reddant, merito inferre nobis videmur, nepotes, matris heredes, eius dotem non pro ea solum parte, quae ad eos peruenit, sed vniuersam, conferre debere. Illa enim obligationis, a matre initiae, vis est, ut dos, quam a patre accepit, partem eius hereditatis ipso iure minuat, cum dotis collatio, ut re ipsa fiat, non necesse sit, sed ea sicut, tanto minus capiendo, fieri possit. l. 5. C. d. collat. Nec mouent leges, pro contraria sententia supra allegatae. Licet enim concedamus, rem conferendam in regula tempore mortis in bonis conferentis existere debere, l. 1. §. 23. l. 2. §. 2. D. l. 6. C. d. collat. negamus tamen, has leges, quae de collatione filiorum agunt, nepotes nostro casu a collationis onere liberarare. Illi enim, tanquam heredes matris, cuius facta praestant, minime conqueri possunt, dotem matris non superesse, cum integra in eius hereditate fuerit relicta, neque casus ex l. 1. §. 6. D. d. dot collat et Nouella XCVII. Cap. 6. supra allatus, quo mater dotem, ab suo acceptam, absque culpa perdit, hic adest. Nec magis obstat, quod nomina ipso iure sunt diuisa, et heredes solum pro ea parte, qua heredes sunt, ad praefstanta facta defunsti obligentur. Haec enim regula vera est, quoties heres saltem pro sua parte hereditatis agit, tunc sane onera hereditatis saltem pro sua rata ferre tenetur,

ipseque contra eum, qui plus exigere vult, exceptione plurium coheredum tutus est. In praesenti vero nepotes defunctam matrem non pro parte, sed in vniuersum, referunt, et totam hereditatis partem, quae ad eam, si in viuis esset, peruenisset, postulant. Hinc iure de ea deducuntur, quae mater iam antea, sub onere collationis ab auo accepit, et quae, vii supra monuimus, portionem ipso iure minuant. Hic itaque effatum **VLPIANI** in l. 149. D. d. reg. iur. ex qua persona quis lucrum capit, eius factum praestare debet, merito applicatur. Praeterea expressis verbis in lege sancitum est: *Si nepotes in locum filii successerunt, unam portionem iis conferri, sed et ipsi ita conferre debere, quasi omnes unus essent.* **CELSVS** l. 7. D. de collat. Et **IVSTINIANVS** praecipit: *Tam filios et filias defunctae personae dotem, vel ante nuptias donationem, a parentibus suis datam, conferre nepotibus, vel neptibus, defunctae personae: quam eosdem nepotes vel neptes patruis suis et avunculir, amitis etiam, vel materteris, dotem, vel ante nuptias donationem patris sui, vel matris, quam pro eo vel ea mortua persona dedit, similiter conferre.* l. 17. C. d. collat. Cum itaque in ista lege Imperator patruos collationis dotis, vel ante nuptias donationis, oneret, eandemque collationem a nepotibus *similiter fieri iubeat*, ex natura correlatorum fluit, nepotibus non partem, sed, ad exemplum coheredum, vniuersam dotem, quam mater accepit, imputandam esse, quoties renunciatio hereditatis maternae diuerditatis rationem, supra traditam, non inducat.

Alia controuersia inde nascitur, quod iure Saxonico Gerardia materna filiabus in legitimam imputetur. **Const. Elect. XI. P. III. CARPOVIVS** enim ad d. **Const. d. 32.** cum aliis eam defendit sententiam, neptes, si ex materna hereditate loco legitimae praeter geradam nihil acceperunt, ideo, quia in cui hereditate gerada cogitari non possit, ad eam conferendam haud esse obligatas. Sed nec ei sententiae, cui **CARPOVIVS** in

in supra cit. d. 31. subscrispit, quod scil. nepotes ad ea conferenda sint obligati, quae ex materna hereditate ad eos peruererunt, huic posteriori asserto conuenire videtur. Res enim geradicae aut a defuncto suo profectae sunt, & tunc iuris ratio vult, easdem conferri, cum omnia bona profectitia sint conferenda. Aut aliunde sunt quae sitae, et tamen eae locum dotis maternae sustinent, cum filiabus loco legitimae sint assignatae. Superesse enim censentur res permutatione commutatae, aut quarum aestimatio superest. a. l. 40. §. 1. D. d. her. pet. Qualitas vero rerum, quod scilicet, quando ad feminam perueniunt, pro Gerada habeantur, ius coheredum, ad exigendam earum collationem, euertere nequit. Alias quaelibet res pretiosiores, ad mundum muliebrem spectantes, quas pater filiae dedit, a collatione eximerentur, quod tamen nemo statuet. Nos autem nec hoc casu sententiam supra propositam deserimus. Filiae enim, matris heredes, eius facta, et quoad collationem, praestent, necesse ducimus, nullo habito respectu, siue pars hereditatis maternae, ad eas deuoluta, in vtsilibus, siue in aliis rebus, consistat.

Nec minus de eo quaeritur, an nepotes et ad collationem eorum, quae defunctus parens iure crediti ab suo acceperat, sint obstricti? Hic vero iterum diuersi casus sunt separandi. Illo enim, quo nepos hereditate paterna abstinuit, et ii Dd. qui illum tunc quoque ad collationem obligatum dicunt, hanc obligationem tamen ad solutionem nominum non extendunt, cum plane diuersum sit, bona, ab ascendentibus accepta, conferre, et aes alienum, quod pater ab suo contraxit, soluere. Ea enim, quae filius a patre sub collationis lege accepit, ei imputari nequeunt, nisi eius hereditati se misceat, quod adeo verum est, vt et dos promissa, a filia, quae paterna hereditate ab-

b 2

stinuit,

stnuit, peti possit, eique tanquam aes alienum soluenda sit. I. vlt. D. d. dot. collat. Cum e contrario pecunia, quam pa-
ter filio matuam dedit, ab eo, eiusue heredibus, semper sit
soluenda, atque ab eo exigi possit, quamvis vel maxime here-
ditate creditoris abstineat, quia patri, non tanquam futurus
heres, sed vt extraneus, debuit. Dicunt itaque Dd. ea solum con-
ferenda esse, quae in bonis heredis sunt, non, quae in heredi-
tate reperiantur, et nomina quidem esse in hereditate, non
vero in bonis heridis. a. l. 49. D. d. verb. obl. l. 10. C. d. col-
lat. Huber. Prael. ad Pand. L. 37. T. 6. pos. 5. Altero vero
casu, quo nepos patris heres factus est, dubitari posset,
vtrum integra debita, an saltē pro sua rata paternae heredi-
tatis, ab eo soluenda sint. Et posterior sententia iterum in no-
tissima illa iuris regula, quod nomina ipso iure sint diuisa,
praefidium inuenire videtur, cui accedit, quod defunctus
filius, eiusue heres, respectu aeris alieni, quod aūo debetur, pro
extraneis sint habendi. Sed re altius perpensa, nec minus vni-
uersum debitum, quatenus portionem auctae hereditatis non
excedit, a nepote, patris herede, soluendum esse, contendim-
us. Portio enim, quam nepos ex persona patris, cuius he-
res factus est, ex bonis aui petit, per compensationem debiti
ipso iure imminuta est, ita, vt non, nisi deducto aere alieno,
intelligatur, et nepos, cum iam non partem, sed vniuer-
sam portionem paternam, postulet, nec praestationem one-
ris, quod vniuersae rei inhaeret, detrectare poterit.

Sed

Sed nunc ad ea, quorum causa haec scripta
sunt, properandum nobis est, nempe

IN AVGVRATIONIS

AVDITORII PETRINI

SOLENNIA.

Cuius quidem auditorii fata, cum ego, Ordinarius, in Solemni oratione plenius sim expositus, hic brevia saltim enarrabimus. A fundatione scilicet academiae nostrae, A C MCDIX Ordo noster ambitu templi Thomani usus est auditorio, quae res quidem causam dedit iuri priuative Facultati Iuridicae competenti, Programma atque Dissertationes portis templorum, quae in hac urbe sunt, publice affigendi. Post, sequenti Seculo, Anno MDXV. Collegium Petrinum, quod Facultas Philosophica antea possedit, a GEORGIO, Duce Saxoniae, maioribus nostris clementissime concessum, ac in illa ipsa area, qua restauratum iam illud conspicimus, e regione castelli Pleissenburgici exstructum est. Cum vero belli tricennialis, ut vocant, tem-

b 3 pesta

pestatibus, anno potissimum M D C X X X V I L.
aedes istae dirutae essent, anno seculi eiusdem
XLI. auditorium, in illam partem, quae ad vi-
cum Petrinum sita, translatum est, quod quidem
ex sequenti inscriptione, qua celeberrimus eius
temporis Ordinarius, SIGISMUNDVS FIN-
CKELTHAVS, illud ornavit, patebit:

COLLEGIVM PETRINUM ANNO 1641.

SOLO FAVENTE DEO:

DEO IVSTITIAE FONTI SACRVM AV-
DITORIVM IVRIS CONSULTORVM
NOVUM, VETERE IN COLLEGIO HOC
PETRINO, A FRIDERICO BELLICOSO
ELECT. SAX. ANNO 1409. LIBERALI-
BVS STVDIIS LIBERALITER CONCES-
SO, A FACVL T. PHIL. ANNO 1456. NO-
MINE PAEDAGOGII AD ANNOS FERE
60. POSSESSO, A GEORGIO, DVCE SA-
XONIAE, ANNO 1515 FACVLATATI IV-
RIDICAE DONATO, ET NOMINE COL-
LEGII IVRIDICI INSIGNITO, OLIM E

RE-

REGIONE CASTELLI PLEISSENBURGI-
CI SITO, PROH DOLOR! TEMPESTA-
TE MILITARI ANNO 1637. VNA CVM
AEDIBVS IMPOSITIS DISIECTO RV-
DERATOQVE, IAM

FERDINANDO III. IN IMP. ROM.

GERM.

ET

IOHANNE GEORGIO IN ELECTO-
RATV SAX.

FASCES ET SCEPTRA TENENTIBVS,
FACVLTAS IVRIDICA EX AEDIBVS
ANTERIORIBVS, HIS SOLIS SARTIS
TECTISQVE CONSERVATIS, COLLE-
GII IVRIDICI, COLLEGARVM, EIVS
FISCI, IV. NATIONVM, ALIORVMQVE
LARGITIONIBVS, SIGISMVNDO FIN-
CKELTHAVS, IC. ORDINARIO, FABRI-
CAM ORNATVMQVE DIRIGENTE, FE-
LICITER HOC IN LOCO ANNO 1641.
INSTAVRAVIT.

Et

Et hoc veteris Auditorii institutum tam felici
fuit successu, vt, sicuti Academia nostra almae
literarum matris nomen ab antiquo sibi iure vin-
dicauerit, ita non minus foecunda haec iuris Sci-
entiae Schola fuit doctissimis viris, qui omni
tempore ex ea prodierunt, inter quos communis-
um Germaniae Praeceptorum, imo Illustrissimo-
rum, quibus successu temporis ipsa reipublicae
salus concredita est, summa nomina hic referre
liceret, nisi verecundia disvaderet. Id solum
monendum videtur, numerasse Ordinem no-
strum a primis academiae temporibus vsque ad
annum M D C X L I. quo vetus, quod iam des-
truimus, auditorium aedificatum est, viros CCII
quos summis in vtroque iure honoribus ornaret.
Ex eo vero tempore ad hunc vsque diem c c c l
(ex quibus c l x x x i x Nostrates vti vocantur,
seu ad Facultatem, c l x i autem extra Faculta-
tem, qui anno huius Seculi vigesimo sexto creari
coeperunt,) supremos doctoratus honores contu-
lisce. Nunc quoniam area quaedam ad arcem
Pleisenburgicam quandam pervenerat, indul-
gentia optimi Principis, Serenissimi FRIDERI-

CI

CI AVGVSTI, Saxoniae Electoris, Domini nostri clementissimi, annuente, ea Collegio cum Iurisdictione comparata, emta et domus nova propriis nostris sumtibus aedificata. In cuius rei memoriam ego Ordinarius, D. CAROLVS FERDINANDVS HOMMEL, cui, ex decreto totius Collegii, comparandae areae et fabricae cura a collegis commissa, die xxiii Septembris proximo vota pro Serenissimi Electoris salute nuncupabo, Auditorium nouum dedicabo, atque simul boni ominis causa

CANDIDATO DOCTISSIMO
IOHANNI FRIDERICO
CLEEMANNO

Summos in vtroque iure honores conferam.
Ego vero, D. AVGVSTVS FRIDERICVS SIGISMUNDVS GREEN, *Procancellarius*, cui hoc publicum Programma scribendi munus concreditum, hanc illi Collegii Praesidi, qui potissimum in adquirendo fundo curaque in aedificando eximie meritus est, potestatem contuli, huiusque Promotionis solennis more Collegii auctor factus sum.

c

Natus

Natus vero est Candidatus noster Chemnicii, Anno post Mille et septingentos, quinquagesimo, die VII Augusti, parentibus, IOANNE GODOFREDO, quondam ad aedes D. Iacobi eiusdem urbis Diacono, et CHRISTIANA DOROTHEA, GODOFREDI PLAENCKNERI, ibidem olim Diaconi sacra facientis, filia. Mater tertio anno, pater autem vix infantiae aetate, a Candidato superata, rebus humanis exenti sunt, quorum memoria, cultu pietatis suffulta, apud ipsum perennat, nec unquam oblivioni mandabitur. Non deerat tamen, qui his optimis orbatum suae tutelae per quam commendatum haberet, et sollicita cum cura saluti eius prospiceret, auunculus deuenerandus, TRAVGOTT PLAENCKNER, cui et propterea, et ob eam, qua adhuc nostrum prosequitur, animi propensionem se quam plurimum debere, non potest non publico hoc monumento profiteri. Prima aetate usus est institutionibus SYRII, HAASH et GNAVCKII, iam Doctoris Medicinae, et BOERNERI. Deinde scholam patriam frequentauit, ubi HAGERVM atque IVNGERVM in iis, quae ab humanitate nomen habent, literis, natus est duces. Horum, condigna laude praedicandorum, praceptorum doctrina imbutus, Anno MDCCCLXVIII accessit nostram Academiam, in cuius ciuitatem a BOEHMIO, tunc temporis Rectore Magnifico, receptus est. Ex quo tempore, philosophiae adiscendae gratia, praeterquam quod GELLERTVM, moralia docentem, audiret, SETDLIZII praelectionibus interfuit. Adsed etiam ERNESTI Seniori, antiquitates Romanas, et CLODIO, Salustium interpretanti. Postea vero, cum ad iuris studium animum adpelleret, HOMMELIANAS, nec non ZOLLERI, SEGERI, PLATNERI, SAMMETII, SCHOTTI, GEISLERI, APE-

LII, et FRATRIS, tunc temporis in hac alma ius profitentis, nunc
Appellationum Confiliarii, Scholas sectatus est. Praeente laudato
fratre Anno MDCCCLXX DE RECIPROCA HEREDVM SVE-
STITUTIONE disputationem instituit, annoque post, emenso stu-
diorum academicorum campo, cum ab Ordine nostro, superato exa-
mine, et specimine ex Actis iudicialibus confessio, Iuris Baccalaureus
ac Notarius Publicus creatus esset, patriam rediit, ubi paullo
post a Regimine Electorali numero eorum, quibus data potestas, cau-
cas orandi, insertus est. Cum vero ad altiora tenderet, hoc Anno
Collegium nostrum adiit, et in rigoroso examine, cum eo in instituto, ita
se praefitit, ut opinionem de eius in iurisscientia profectibus conce-
ptam, haud minimam profecto, non dicam confirmaret, sed etiam su-
peraret, vt, cum in utroque iure egregie versatus deprehenderetur,
prae ceteris dignus visus sit, non modo cui iura doctoralia conferren-
tur, verum etiam qui primus in nostro instaurato Auditorio hac di-
gnitate ornaretur. Explicaturus est ob eam causam die XXII. Se-
ptembris hora secunda pomeridiana in hoc ipso noviter exstructo Au-
ditorio L. 7. C. AD LEGEM FALCID. illo vero inaugurali die,
XXIII Septembris, me Ordinario, CAROLO FERDINANDO
HOMMELIO, Praefide, Dissertationem, DE ADVENTV IVRIS
CANONICI IN GERMANIA, ipse auctor, est defensurus. Quo
feliciter peracto, supra memoratum in modum honores et reliqua iura
Doctoris in utroque iure, excepta sola spe, ad sessionem et suffragi-
um in Collegio nostro adspirandi, ei tribuentur.

His igitur solennibus, VOS, RECTOR ACADEMIAE
 MAGNIFICE, ILLVSTRISSIMI COMITES, GRAVISSIMI
 VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, GENEROSIS-
 SIMI DENIQUE NOBILISSIMIQVE COMMILITONES,
 vt frequentes adesse, eaque illustrare honorifica Vestra pae-
 tentia et condecorare velitis, observantissime rogamus.
 Dabamus d. XIX. Sept. A. C. MDCCCLXXIII.



LIPSIAE,
 EX OFFICINA BREITKOPFIA.

Yc6769



56.


Retro ✓ 9.1.01

H.C.

1017

B.I.G.

Farbkarte #13



ORDINARIUS
SENIOR ET RELIQVI DOCTORES
FACVLTATIS IVRIDICAE LIPSIENSIS
INAUGURATIONEM
AVDXTO RXX PETRANX
NOVITER EXSTRVCTE
D. XXII. SEPTEMBR. A.C. MDCCCLXXXIII
G E L E B A A N D A M
S I M V L Q V E
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
DOCTISSIMO CANDIDATO
JOANNI FRIDER. CLÆEMANNO
TRIBVENDOS
INDICVNT.